

LIBER II.

DE PRÆCEPTIS VIRTUTUM
THEOLOGICARUM.

TRACTATUS PRIMUS

De præcepto Divinae Fidei.

Virtutes illæ dicuntur *Theologicae*, quæ Deum, tanquam objectum suum *directe* respiciunt, in quo differunt a virtutibus moralibus, quarum objectum immediatum est honestas, in illis elucens. Tres omnino sunt virtutes *Theologicae*, fides nimirum, spes, & charitas. Fides Divina, de qua nobis est sermo, definiri solet: *virtus Theologica a Deo infusa, inclinans nos ad firmiter credendum iis omnibus, quæ a Deo Ecclesiae revelata sunt, propter auctoritatem Dei revelantis.* Itaque Fides Divina excludit omnem dubitationem, & formidinem: unde merito ab Innoc. XI. damnata est hæc propositio: *assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; imo cum formidine, qua quis formidat, ne non sit locutus Deus.*

CAPUT I.

De necessitate Fidei.

1. Præmitto 1. ex iis, quæ fideles credere debent, alia dicuntur necessaria necessitate *medii*, seu finis; scilicet ea, sine quibus nullo modo finis ultimus obtineri potest; alia necessitate *præcepti*, sine quibus absque culpa ignoratis, finis ultimus potest obtineri. 2. Divina mysteria credi possunt *explicite*, distincte, & secundum se, ac proprium conceptum; & *implicite*, hoc est, non distincte secundum proprium conceptum, sed confuse prout in alio continentur: sic dum credimus, quicquid credit Ecclesia, implicite credimus omnia fidei dogmata. His positus sit —

2. *Quæst. 1.* Quænam fidei mysteria necessaria sunt necessitate *medii*? R. 1. omnibus adultis necesse est necessitate *medii* credere, & quidem *explicite*, Deum esse, & remuneratorem esse. Ita definitum est a Trid. Sess. 6. c. 8. juxta illud Apost. ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum credere oportet, quia est, & quia remunerator sit.* R. 2. post sufficientem promulgationem Evangelii eodem modo necessaria est fides Christi, & SS. Trinitatis, saltem *implicite* in quo DD. omnes conveniunt, & facile demonstratur ex S. Litteris. Nam Joan. c. 17. habetur: *hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum & quem misisti Jesum Christum.* Paul. ad Gal. 2. *Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per*

fidem J. Christi. Fides autem Trinitatis adeo necessaria est, ut baptismus, qui est Sacramentum fidei, non conferatur nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. ex c. 28. Matth. in Symbolo autem, quod vocatur Athanasii, ab Ecclesia recepto, & approbato legitur: *fides Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur... Sed necessarium est ad æternam salutem, ut incarnationem quoque D. N. J. Christi fideliter credat.*

3. *Quæst. 2.* An fides explicita mysteriorum Christi, & SS. Trinitatis necessaria sit necessitate medii an solum præcepti, post Evangelii promulgationem? Pro necessitate medii stat communis, & ut videtur, probabilior DD. sententia cum Sanchez, Molina, Ledesma & pluribus recentioribus, quam multis probant Scripturæ, & PP. testimoniis. Nihilominus contraria sententia defenditur a gravissimis TT. Scoto, Suarez, & ex recentioribus Eusebio-Armort, aliisque, pro se allegantibus S. Thomam, qui 3. p. q. 69. art. 4. docet, Cornelium, aliosque similes ante baptismum consecutos esse gratiam, & virtutes per fidem Christi, & desiderium baptismi implicite, vel explicitè. Putant autem repugnare bonitati Dei, & providentiæ, ut damnet adultos invincibiliter ignorantes, qui juxta lumen naturæ honeste vivunt, dum contra Act. 10. v. 34. habetur; *in omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi.* Ad ea vero quæ pro contraria opinione PP. & Scripturæ testimonia afferuntur, respondent, vel intelligenda esse de necessitate præcepti, vel fide

implicita vel de explicita in voto. Hæc sententia, inquit Card. Gotti, valde probabilis est.

4. *Quæst. 3.* Quarum rerum fides explicita præcepta est? R. Omnes adulti tenentur sub præcepto credere explicitè, adeoque addiscere, & scire saltem quoad substantiam mysteria Trinitatis, Incarnationis, Passionis, & Resurrectionis Dominicæ. 2. Symbolum, & Orationem Dominicam, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, Sacramenta maxime necessaria nempe Pœnitentiam, Eucaristiam, & Baptismum, reliqua autem, cum velint ea suscipere. Hinc graviter peccant, qui negligunt pro suo captu ea discere; item Parentes, & Parochi, qui non curant ea docere filios, aut oves suas, vel per se, vel per alios. Neque absolvendi sunt qui ea nesciunt, quæ scire tenentur, nisi prius instruantur. Nam Innoc. XI. hanc propositionem damnavit: *absolutionis capax est homo, quantumvis laberet ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium S. Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.*

5. *Quæst. 4.* Quando obligamur ad eliciendos actus fidei? R. 1. ante omnia habendæ sunt præ oculis theses damnatæ de hoc argumento, nimirum —

Prop. 1. ab Alex. VII. homo nullo unquam vite suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum divinatorum, ad eas virtutes pertinentium.

Prop. 16. ab Innoc. XI. fides non censetur cadere sub præceptum speciale secundum se.

Prop. 17. ab eodem: *Satis est, actum fidei semel in vita elicere.* His positis —

R. 2. Tenemur elicere actum fidei internum. 1. initio usus rationis, ubi mysteria fidei satis cognoscimus, eorumque necessitatem ad salutem. Idem dicendum de infidelibus adultis, quando ratio ipsis incipit præscribere, christianam fidem esse veram, & contrariam esse falsam. Quod si vera fides nondum eis sit sufficienter proposita, sed oriatur dubium de sua secta, tenentur ulterius inquirere, & a Deo lumen petere. Ubi notanda est propositio ab Innoc. XI. damnata: *ab infidelitate excusabitur non credens, ductus opinione minus probabili.* Obligamur 2. quando urget tentatio contra fidem quæ superari non posse videatur, nisi per actum contrarium. 3. in articulo mortis, quia tunc maxime urget præceptum Deum colendi per actus præcipuos Religionis, nempe fidei, & charitatis in Deum 4. quando facienda est fidei professio exterior, vel ex præcepto alius actus virtutis, quæ fidem supponat. 5. Cum quis in hæresim, vel voluntariam dubitationem lapsus est. 6. Cum urget gravis tentatio contra virtutem aliquam, quæ superari aliter non possit.

6. Præterea urget præceptum eliciendi actum fidei internum sæpius in vitæ nostræ decursu. Quoties autem illum elicere ex præcepto teneamur, incertum est. Scotus censet, obligari nos ad faciendos actus fidei singulis diebus festis; Nider, quoties mysteria in Ecclesia celebrantur; Salmant. cum Bannez, Sanchez, & aliis

sat probabiliter putant, teneri saltem semel in anno fideles ad exercendum actum fidei; idemque sentiunt Concina, & Franzoja. Notant autem cum Suar. huic præcepto fieri satis per exercitationes aliarum virtutum, sive in susceptione Sacramentorum, sive ex alia quavis occasione actus fidei eliciantur.

7. *Quest. 5.* Quando obligat præceptum exterius fidem confitendi? R. Jure naturæ obligat, cum id exigitur honor Deo debitus, aut utilitas magna proximi. Ita expresse S. Thom. 2. 2. qu. 3. art. 2. Et est ratio, quia tunc præceptus est actus alicujus virtutis, quando necessarius est ad finem præcepti, qui est charitas ex 1. ad Timot 1. Unde fidem aperte confiteri tenemur, cum ex taciturnitate Deus injuria afficiendus esset, aut proximus gravi malo, v. g. si inde oriri prudenter crederetur aliorum perversio, contemptus Religionis, vel scandalum; tunc enim locum habet illud Christi Luc. 9. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet.*

8. Ex præcepto Ecclesiæ obligantur ad professionem externam fidei. 1. Provisi de Beneficio Curato, idque intra duos menses a die possessionis coram Episcopo, aut ejus Vic. Gener. vel officiali. *Trid. Sess. 24. c. 2. de reform.* 2. provisi de Canoniatu, vel dignitate in cathedrali Ecclesia, idque non tantum coram Episcopo, aut ejus Vicario, sed etiam in Capitulo. *ibid.* addita poena, ut alioqui fructus non faciant suos. Quam tamen poenam non videntur incurere ante sententiam judicis, ex Barbosa, San-

chez. 3. Primates, Archiepiscopi in prima Synodo Provinciali, cui intersint. *Trid. Sess. 25. 4.* ex decreto Pii IV. Prælati ordinum, etiam Militarium; & ex decreto Pii V. omnes promovendi in Doctores, Magistros, Rectores, & Professores; addita Excommunicatione latæ sententiæ, & privatione omnium Beneficiorum in eos, qui alios promovent ad talem gradum sine prævia professione. Verum ubi decretum hoc usu non est receptum, non obligare monet Sanchez.

9. Non tenentur ad dictam professionem provisi de Canonatu in Ecclesiis Collegiatis, vel de Beneficio tantum simpliciter.

Nota: etsi probabile sit, professionem fidei fieri posse per procuratorem, ut docent Azor, Navarrus, & Sanchez; probabilius est tamen, fieri debere a propria persona; aliter non fit satis juramento, quod personale debet esse juxta Glossam; atque ita decretum esse a S. Rota, tradit Garcia lib. de Benef. c. 3.

CAPUT II.

*An liceat fidem veram negare,
aut falsam profiteri.*

10. R. fidem veram negare nunquam licet, nec ad vitandam mortem. Constat 1. ex c. 10. Math. *qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Constat etiam ratione; quia negato fidei est mendacium gravissimum, injurium Deo, & perniciosum in re gravis-

sima, dedignante servo agnoscere supremum Dominum, & cultum ei debitum exterius dene-gando. Hinc Ecclesia ut hæreticos damnavit eos, qui dicerent, licere cuiquam, ore fidem negare, & corde retinere. Unde Catholicus, rogatus de fide, nullo modo potest ita respondere, ut videatur aliis fidem negasse. Imo si publica auctoritate rogetur, tenetur positive fidem suam profiteri. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propositionem: *si a potestate publica quis interrogetur; Fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno.*

11. *Quæst. 2.* An licet aliquando falsam fidem profiteri, aut simulare? R. non licere; eodem enim præcepto, quo præscribitur cultus externus, & internus assensus veræ fidei, prohibetur internus assensus falsæ fidei, & cultus ejus externus, sive professio, quæ intrinsecus mala est. Itaque non licet uti vestibus, aut signis infidelium, quæ alium usum non habent, quam illos a fidelibus distinguere: tales sunt vestes, quibus utuntur in sacrificiis; item incensio thuris, aut genuflexio coram idolis, sumptio cœnæ hæreticæ. Secus vero est de vestibus, & signis, quæ alium usum habent, vel signa sunt propria nationis, non vero Religionis. Talia censentur a multis Turcarum vestimenta, & pileus flavus Judæorum in ditione Ecclesiæ; quamquam Toletus, Navarrus & alii negent, uti quemquam illis posse sine peccato, eo quod illorum usus sit externa professio infidelitatis.

12. Assistere concionibus hæreticorum, ipsorum baptismo, aut funeribus non licet, ubi ad-

est periculum scandali, aut perversionis, aut ubi censeatur communicatio cum illis in rebus sacris; de cetero, si hæc omnia absint, & nulla sit prohibitio, non censeatur vera simulatio in fide. Idem dico de ingredientibus templa hæreticorum, aut Sinagogas hæbreorum, ut observent, quid illic agatur, nisi id speciali lege prohibeatur. Si tamen Princeps hæreticus jubeat subditos interesse concionibus hæreticorum, etiam si verbis protestetur, nolle se eos cogere ad deserendam avitam fidem, nihilominus ejus decreto non licet obedire; quum res præcepta sit apta ad catholicos paulatim pervertendos, auctoritatem errori conciliandam, & ingerendum contemptum veræ fidei.

13. *Quæst. 3.* An liceat veram fidem occultare? *R. 1.* non licet, quoties urget præceptum confitendi, scilicet cum honor Dei, & Religionis, aut proximi salus id postulant. Constat ex dictis, quia tunc simulatio esset in virtute vera fidei negatio, & violaretur præceptum affirmativum fidei, quo quisque tenetur fidem suam positive profiteri suo tempore.

14. *R. 2.* Licet aliquando dissimulare veram fidem, cum adest justa causa, & non est necessitas confitendi. Est doctrina communis *TT.* cum *S. Thoma.* Hinc solves sequentes casus *f.* Rogatus a persona privata de sua fide, potest illam occultare, nolendo respondere, aut aliis verbis ejus interrogationem eludendo; nisi inde fidem negasse videretur, aut scandalum proximi oriretur. 2. fugiens tempore persecutionis non negat fidem, imo eam tacite quodammodo pro-

fitetur. Hæc autem fuga licita est ei, cujus præsentia necessaria non est, uti necessaria solet esse præsentia Pastoris ad confirmandas ejus oves: quamquam & aliquando etiam fidelibus conveniens esse potest, ut ad tempus Pastor se subducat, ut probatur exemplo Apostolorum, Athanasii, & aliorum *SS.* 3. Si rogatis aliis de fide, ipsi faterentur, tu vero taceres, certe peccares, cum silentium in ea hypothese esset quasi negatio veræ fidei. 4. Cum non rogaris de fide, non solum licet, sed sæpe melius est, & utilius ad Dei honorem, & aliorum salutem de fide, tua tacere, quam eam aperte profiteri. Imo sæpe temerarium esset, sese ultro infidelibus prodere, si periculum esset deficiendi in fide, aut ex inde turbationes oriri possent, & aliorum neces. *S. Thomas, & cum eo reliqui TT.*

15. 5. Si transiens per loca hæreticorum, vescaris carnibus in die jejunii, ut grave vitæ discrimen effugas fidem occultando, non peccas, cum præceptum Ecclesiæ non obliget sub tali periculo. Secus vero dicendum, si solum immineat periculum derisionis, aut alicujus vexationis, vel si carniæ esus signum sit professionis falsæ religionis. 6. Non licet Catholicis inter hæreticos viventibus matrimonium contrahere coram Ministro hæretico, etiamsi antea contraxerint, vel postea sint contracturi coram Sacerdote Catholico. Nam ea cæremonia testaretur contraens, se illum agnoscere veræ Fidei ministrum, augetque Ministri auctoritatem, & ad ritus hæreticos cum illo concurreret. Quod si contrahens ritu catholico, se sistat Magistratui Civili ad coa-

trahendum, vel potius ad testandum de contractu a se inito, peccati reus non erit; cum illa sit actio, vel cæremonia tantum Civilis, instituta ad finem politicum, scilicet ut conjuges agnoscantur, & proles habeantur legitimæ.

CAPUT III.

De Vitiis Fidei oppositis.

16. Quid est infidelitas, & quotuplex? Infidelitas universim accepta est carentia fidei. Quæ quidem triplex esse potest; *negativa* in iis, qui de fide nihil unquam audierunt. Quæ non tam est peccatum, quam pœna peccati; quia si fecissent, quod in ipsis erat, Deus fidem eis non abscondisset. Secunda dicitur *contraria*, scilicet eorum, qui fidem sibi satis propositam vel contemnunt, vel ei cum pertinacia contradicunt, ut hæretici. Tertia vocatur *privativa*, quod private opponitur fidei, & est culpabilis ignorantia, vel error circa dogmata fidei.

17. Infidelitas *contraria* rursus est triplex ex triplici ratione, qua fidei repugnat. Paganismus, qui fidei nondum susceptæ, Judaismus, qui fidei in typo susceptæ, & hæresis, quæ fidei susceptæ veritati repugnat. Apostasia a fide revocatur ad hæresim, a qua tantum differt, quod hæresis sit error fidei ex parte tantum contrarius, apostasia ex toto. V. S. Thomam, & TT.

18. *Quest. 2.* Quæ Communicatio cum Judæis sit interdicta Christianis? R. Jure Canonico *c. nullus c. omnes. Lit. de Judæis* vetitum est Christianis cum Judæis habitare, conviviis eorum

interesse, uti communi balneo, ipsis famulari, medicos adhibere, & ab eis medicamina accipere, eorum azymis vesci. Pariter ipsi prohibentur publicis inter Christianos officiis fungi, ex Conc. Later. Quod quidem jure cautum est, tum ad tuendam dignitatem Christianæ Religionis, tum ad vitanda pericula, quæ ex eorum familiaritate oriri possent. Adire ad synagogas eorum, eorum nuntiis interesse, ludere, & saltare cum eis, & alia hujusmodi, secluso scandalo, & perversionis periculo, non videtur esse peccatum lethale. *Laymam Salm. alii.*

19. Principes Christiani possunt permittere Judæis (uti & hæreticis, paganisque) libertatem conscientiæ ob spem conversionis, & ob Religionis bonum minime vero ob temporarium tantum emolumentum. *Salmant.* Bene vero potest Ecclesia, & principes supremi Judæos compellere, quemadmodum & subditos paganos, ad audiendam explicationem nostræ fidei, ut docent *Salmant.* cum Suarez, & constat ex praxi, quæ Romæ, & alibi viget ex Const. Gregorii XIII.

20. *Quest. 3.* Quid sit hæresis? R. est voluntarius error, & pertinax contra fidem in eo, qui fidem suscepit. Unde ad hæresim duo requiruntur. 1. judicium erroneum ex parte intellectus, & pertinacia ex parte voluntatis. Porro pertinaciter errare, non est hic acriter, & mordicus errorem suum tueri, sed est eum retinere, postquam veritas contraria ei satis eluxit; sive quando scit, contrarium doceri ab Ecclesia, cui judicium suum nolit subicere. Unde statuo 1. Non est hæreticus, qui exterius tantum fidem negat,

neque ille subjuget Ecclesiæ censuris in foro conscientiæ, licet in foro externo præsumatur hæreticus. 2. hæreticus pariter non est, qui paratus est iudicium suum Ecclesiæ subicere, aut nescit contrarium ab Ecclesia doceri, licet ex ignorantia culpabili, & crassa, ut vocant, id ignoret.

21. *Quæst. 4.* An sit revera hæreticus, qui dubitat circa res fidei? R. qui positive dubitat de aliquo fidei dogmate, ab Ecclesia jam definito, iudicans illud esse incertum ob rationes oppositas, ille proculdubio est hæreticus, & excommunicationem incurrit ex c. 1. de hæret. *dubius in fide infidelis est.* Secus vero qui super aliquo fidei articulo *negative* se habet suspendens iudicium, & alio se divertens, ne mentem fatiget, vel ut ad aliam cogitationem sese applicet. Verum si iudicium ita suspendas, ut practice iudices, motiva fidei contraria incertam reddere veritatem catholicam, pariter eris hæreticus; cum id sine iudicii deliberatione, ac pertinacia stare nequeat.

22. *Quæst. 5.* Quid est apostasia a fide? Est integra defectio a fide, per baptismum suscepta. Iisdem pœnis, quibus hæresis, subicitur; cum re vera sit hæresis, nec ab illa differat, nisi quod hæreticus ex parte tantum, apostata ex toto a fide recedit. Pueri baptismo initiati, qui ab infidelibus in eorum secta enutriuntur, nec de rebus nostræ fidei unquam fuerunt edocti, non sunt apostatæ formales, nec ut tales abjurare coguntur, si ad catholicam fidem redeant; sed expediuntur cum professione fidei, absolute a censuris ad cautelam, & cum instructione. *Cong. S. Off. 12. Mag. 1604.*

TRACTATUS II.

CAPUT UNICUM.

De præcepto virtutis spei.

1. *Quæst. 1.* Quid est spes, & quodnam ejus objectum? R. est *virtus, per quam cum certa fiducia futuram beatitudinem, & ejus media esse sequenda expectamus per Dei auxilium.* Hinc materia spei nostræ (sive ut ajunt, objectum ejus materiale) duo complectitur; primo æternam beatitudinem, quæ est ipse Deus fruendus; secundo auxilia Divinæ gratiæ, & opera bona, Deo adjuvante, exsequenda. Rationes autem, in quibus innitur spes nostra, quod formale abjectum dicitur, alii dicunt esse misericordiam Dei, alii omnipotentiam, alii promissionem; alii denique divinam bonitatem, prout ipsa nobis communicat auxilia sua ad salutem æternam consequendam. Censeo, motivum integrum, & adæquatum spei nostræ tria hæc complecti, puta misericordiam Dei, Omnipotentiam, & promissionem, sine qua non possemus salutem cum fiducia sperare.

2. *Quæst. 2.* An, & quando obliget præceptum spei? R. 1. certum est, extare præceptum spei, & quidem speciale, a præcepto reliquarum virtutum distinctum. Constat ex Trad. spem numerante inter dispositiones adulto necessarias ad justificationem; Deus autem nobis præcipit, apponere ea, quæ nobis sunt necessaria ad salutem obtinendam. Unde Alex VIII. damnavit hanc the-